



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

IX. Nobilissimum omnium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

sed etiam quod agendo longiùs sese, latiusque, potest extendere.

IX. *Nobilissimum omnium.* Versa te in quamcumque partem, & perpende, quid Deo sacrifices; quid hostiæ Eucharisticæ, aut holocausti loco, deferas. Pecuniam, aliaque extra te quælibet, frustra obtuleris, si tui ipsius nihil addideris. Neque enim tua petit Deus, sed te. Offer sanè illi linguam tuam, ejus majestatem prædicando; oculos, mirabilia ejus legendo ac spectando; aures, de ipsius laudibus audiendo; intelligentiam, arcana divinitatis contemplando: sed ante omnia cedò voluntatem, sine qua sacrificium perfectum non est. Ita Paullus, ad Hebr. cap. 10. *Christum inducit loquentem: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt, tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Nullum holocaustoma suavioris est odoris Domino, quàm immolatio propriæ voluntatis. Nihil gratius,*

tius,

tius, inquit Augustinus in Psalmum 131. Deo possumus efferre, quàm ut dicamus, quod dicitur in Isaia, Posside nos, & nobis utere velut re tua, in omnibus. Isaïas c. 62 mentem justi pingens sub civitatis Hierosolymitanæ imagine: *Vocabitur*, inquit, *tibi nomen novum*, quod os Domini nominabit, & eris *corona gloriae in manu Domini*, & *diadema regni in manu Dei tui*. Non *vocaberis ultra derelicta*, & *terra tua non vocabitur amplius desolata*: sed *vocaberis, Voluntas mea in ea*. Appelletur passim nobilissima illa civitas, *Ierusalem*, id est, *Visio pacis*: indigetetur à Baruc cap, 5. *Pax justitia*, & *honor pietatis*: nomen ejus sit apud Ezechielem cap. ult. *Dominus ibidem*: vocetur à Zacharia cap. 8. *civitas veritatis*: Altissimum inter omnia & excellentissimum civitatis Dei, & Christianæ mentis, elogium est, *Voluntas Dei in ea*. Heroibus nostris & Heroïnis Christianis, ex admiratione virtutum varios titulos fecit pia posteritas. Theologos vocamus, Nectareos, Eleëmofynarios, Seraphicos, Angelicos, Malleos hæreticorum, Magnos, Magi-

Magistros orbis. Doctores gentium, Dilectos discipulos, Amicos sponsi, Columnas fidei, Petras Ecclesiæ, Viros secundum cor Dei, Patres fidelium, Homines justos atque perfectos in Scripturis legimus. Congerantur licet in unum nomina id genus omnia, præ cunctis hoc erit, *Voluntas Dei in ea*. Prorsus ut de homine sic comparato Deus gloriatur, velut de corona gloriæ, aut diademate regni.

X.
*Admirati-
oni est
patiens.* Neque enim homo ejusmodi in se solum, & efficienter Deum laudat, sed etiã in aliis seu objective, ipsos virtutis suæ contemplatione & admiratione ad Dei laudẽ excitãdo. Eccli.c.45. Siracides de vestimentis Pontificiis Aaronis loquens, *Sic pulchra, inquit, ante ipsum talia non fuerunt usque ad originem*, ita ut mererentur nominari, *desideria oculorum ornata*. In illis maximè notandum, quòd vice fimbriarum circumpenderent tintinnabula trecenta sexaginta sex, ad numerum dierum anni unius. Factum id primùm, ut Summus Sacerdos, aliique per
ipsum